



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesu Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

VI. Societatem esse clericalem nihil Hierarchiæ officit, & præstat summo Pontifici eam voro teneri quam Episc.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

Martha, & Maria; sibi que inuicem si solitaria; impedimento sunt: si iuncta aliam alia temperet; adiumento; dum alterna vicissitudine actiuosa labor opimat otia contemplantis; & contemplatio laborem vegetat, & corroborat actiuosa. Ex altera ergo quotidianam qua mente peragitur orationem decerpit, excoquenda virtutis potentissimam obrutam, & penae artificem ignita, qua humi iacentem animam attollit, & Deo coniungit. Exercitia Spiritus mens interdum solido obeunda, & quaterna in diem meditatione, qua longe ab cauernis, & specubus, procul tamen non modo a saeculo hominem eximit; verum, quod magis est arduum, etiam a seipso; Instaurationes votorum semestres, orationibus, confessione generali, asperitate spontanea comparata, & maxime seria interioris hominis reformatione. Ad haec geminum quot diebus, mane, ac vesperi examen ad vitam vniuersae correctionem mire accommodum; aliud item magis singulare (de quo libro sequenti fusius) vel ad exculpendam qua praecipue egemus, a nobis virtutem; vel extirpandum radicibus vitium quomolestius infestatur; in omni vita, rebusque singulis rectam mentem, nullius nisi Dei vnus cupidam, legem praeterea, conscientiae arbitro euoluendi, explicandique funditus quicquid in ea boni, aut secus geritur; piorum librorum quotidie usum priuatum, & publicum, cohortationes domesticas de diuinis, & collationem de iis mutuam: accessum ad mysteria adoranda frequentem: in eluctandis animi motibus constans, & ad vsque supremum halitum proferendum certamen. Votorum denique religionem accuratissimam, atque sanctissimam. His ad culmen virtutum subsidiis Societas enititur, vnaque se periculo subtrahit, ne instar pedamenti adminiculando frugiferis vitibus, inarescat, ignique seruetur. De opibus autem vitae actiuosa ad proximi opem, non id modo selegit Ignatius quod per se spectaret pietatem, verum id etiam quod excolendis quoque ingeniis, ad excipienda semina pietatis, plantas eruncat noxias, & solum subiegit, studia, inquam, literarum, in scholis, & academiis palam omnibus tradenda, professione omnium doctrinarum, qua religiosam conditionem non dedecent, absque Grammatices infimis ad Theologiam vtramque, sciendi ac viuendi magistram: idque haud alia mercede, quam exprimenda ab discipulis honorarij loco, probitatis, pietatisque Christianae, & sacramentorum crebritatis. Quae vero proximè pietatem attingunt animarum auxilia, sepono ea in librum sequentem, vbi de sancti virtutibus acturus, eius in proximis iuuantis ardorem industrium exponam.

## VI.

*Societatem esse clericalem nihil Hierarchia efficit, & praestat summo Pontifici eam voto teneri quam Episc.*

Ex instituto in hunc finem, & his obtinendum subsidiis Ordine, qui natura sua, omnique sui ratione, in auxilium tenderet animorum, necessario id conseqebatur, vt cooptandum eam curaret in professionem, cuius est aeternae salutis adiumenta populis ministrare. Quamobrem illum in clerum adscribi voluit, & sacra Synodus Tridenti habita, ipsique Pontifices Paulus III. & IV. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. appellant Clericalem, nec nostros alio quam Clericorum nomine, & Sacerdotum vocant. Esse vero haudquaquam abusu nominis, sed proprietate clericalem,

clericalem liquet ex eo quod vt antea narraui, aliorum bono se prorsus deuouet, profectusque ipsos priuatae virtutis eò refert, vt quisque habile iuuandi proximi instrumentum euadat. Porro ex eo quod Societatis homines Religiosi clerici merè sint, duo sequi necesse est; Primum eos Hierarchiae Ecclesiasticae, ea sibi in parte locum vindicare quae populis ad colendum Deum, & quarendam salutem manum tendit, quod cleri munus est: cum enim Societas instituti sui ratione non sit monastica; Religionis certè titulo, adeo nihil habet quod cum clericatu non optimè consonet, vt etiam quod illi addidit, intra eius metas, eius praestantiam augeat, quamobrem & Paulus III. & Iulius III. Marcellus II. & Paulus IV. Societatis homines haud aliter nominant quàm Reformatos. Nec vero propterea vel factum Ordinem turbare, vel segregare se ab eo putanda Societas, quod extramorem illius Ordinis, ab Episcoporum proximo iure eximatur; solemnè siquidem, & peculiari sibi voto, tota pèdet ex nutu summi omnium Pastoris, cuius in gregem vniuersum prouidentiae est, illa vt, vbicumque animarum salus, & Episcoporum obsequium tulerit. Episcopis quidem, si potius Obedientiam, quàm summo Pontifici iurasset, quod iuuandis eorum ouibus minùs necessarium videbatur; in magnum profecto Ecclesiae totius incommodum cessurum id erat, nam quae carent Episcopis regiones, haereticis, & infidelibus infestae, Societatis quoque subsidio caruissent, quod iis à Christi Vicario transmissum, animas Deo peperit innumerabiles; imo vt suo iam saeculo testatur Pius V. regna integra Ecclesiae adiunxit. Præterquam quod Pontificiae potestatis, non exiguum erat ornamentum, habere in promptu tot hominum millia, iis dotibus praedictorum, quas in professis admittendis Societas necessariò exigit, ad nutum expedita parataque ex voto, absque vlla excusatione, & viatico, ad suscipiendum iter quocumque gentium barbararum, cuiusuis negotij causa, quamlibet ardui, ac periculosi ad salutem animarum spectantis. Quod tametsi semper futurum fuit Pontificibus summis perhonorificum, & Christianis perutile, verum hac ætate pernecessarium, vnde tum summi Pontifices, tum quos pridem memorauì scriptores, Christum suae Ecclesiae eiusque Vicario, ad necessitates rerum, & temporum nouas, aiunt noua hæc arma prouidisse. Iam non esse hanc pompæ inanis iactantiam, & nomen sine re vacuum, sed Societatem rebus gestis, promissi mensuram cumulatè implese, ambigi verant tum facta ipsa quae suis locis historia loquetur, tum absque numero omnis generis haereticorum scripta, vnam hanc ob causam ad infamiam nominis, ad doctrinæ suggillationem, ad Instituti ludibrium, & dedecorandam Societatem composita. Contendit suos inter Calvinistas Lermæus, magnis quidem nostris promissionibus ad defensionem Rom. Pontificis nos esse obstrictos, factis tamen promissa generosè vicisse, & flocci duxisse, si tantum ministros religionis reformatæ exagitaremus, nisi tota etiam Gallia, & Germania simpliciore ætate dementaremus amore, & reuerentia Romanæ sedis, Quae in arte nos esse tam potentes, vt dibaphorum citius

vanescat purpura, quam *stos* *Papæ doctrina*; quo iuuentutem imbuimus Atlantes Papæ, nos appellat Caluini assēcla Misenus: Hasenmullerus, Romani Episcopi liētores; Vitacherus Papismi medullam: Euangelistas Pontificis Eumius, *causam pro ipso adeo strenuè agentes, ut vix aliquid granius pro Christo præstari possit.* Quibus bellè item consentit pietura qua concurrentes nos exhibent ad fulciendam Petri sedem Lutheri calcibus succullam, quia vero, inquit; Florimundus, per Societatis latera Ecclesiam petunt; ob id pari homines pietate, ac sapientia, rati hæc dedecora pro summis, & inuidendis honoribus habenda, multo aliter scripsere, quam ex vulgo nonnulli, qui nos ex multis accusatoribus reos, ex multorum odiis iudicant infelices. Longè inquam, aliter duo sapientissimi Cardinales Stanislaus Hofius, & Guillelmus Alanus, quorum ille Societatis homines alloquens, [ vestra, inquit, felicitas est, vestra beatitudo tanto, maior, quanto ab Christi rebellibus crudeliora toleratis, à quibus nihil vobis pertimescendum est: *nam capilli capitis vestri omnes numerati sunt, utque is promisit, ne vnus quidem ex iis peribit; accedet etiam quod in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Neque illas tantum possessuri estis, sed animas aduersariorum etiam lucri facietis, quibus minori odio non estis quam esset olim hebræis Christus, in cuius Societate militatis vt perpeffionum cum illo nunc socij, postea sitis consolationis, æternarumque voluptatum. Quare viriliter agite, & magno animo estote: futurum est, qui vos execrantur, eo vsque mutantur, vt vos ad se certatim magnis precibus, inuitent, quo salubri vestra disciplina, & exemplis fruuntur ] Alter vero in apologia pro seminario anglicano [ noua est, ait, istorum hominum viuendi ratio, & Ordo; doctrina, & fides omnino eadem quæ Patrum veterum, & Ecclesiæ vniuersæ. Hæreticis odio, & contemptui sunt, quod sibi Hieronymus dacebat maximè gloriosum, hos enim à Deo submissos ad reparandas Lutheri, & Caluini, ac similium ruinas, quanta hæretici execratione detestantur, tanta illos auersati quondam hæretici, sanctissimos homines quos secum in pugnam Deus commiserat. ] Iam votum Obedientiæ Christi Vicario nuncupandæ, Societati magis quam vlli præterea hominum generi conuenire Stanislaus Rescius eximie colligit, ex alio Societatis eiusdem voto de repudiandis Ecclesiæ præfecturis, Echios enim, Taperos; Roffenses, Moros, Hesselios, Hofios, Sanderos, eiusdemque mensuræ homines qui contra Ecclesiæ præduelles, voce, ac scriptis fulminarunt; haud parem suæ pietatis, & sapientiæ apud eos fidem inuenisse, quod falso licet, suspecti tamen essent, in prædicanda veritate non castè satis, & integrè versari absque vlla commodorum suorum ratione, velut, ait ille, *quam profitebantur fidem, eam ob Papæ metum, ob censuum, reddituum, Episcopatum, & id genus amorem tuerentur. Propterea visum est Domino novos homines suscitare, sine re, sine sede, sine Episcopatibus, sine abbatibus, viles in oculis sæculi, nihil timentes nisi*

*nisi Deum, nihil sperantes nisi a Deo, qui mortem pro Christo lucrum putarent, occidi possent, vinci non possent.*

Alterum quod esse consequens aiebam ex eo, quod Clericalis ordo sit Societas Iesu, & pro instituti sui ratione, proximorum saluti se totam debeat, alterum, inquam est, non esse propterea mancam, aut re vlla defectam quod minimè iussa sit ab sancto suo fundatore omnia complecti, quæ cæteri Ordines Religiosorum magno suo, & bono, & Ecclesiæ decore profitentur. Extra dubium est rei præstantiam, addendis quæ illi non quadrant, non minus confundi, quam detrahendis quæ ad eam propriè pertinent: quæ porro pertineant, vel ab ea sint aliena, certo aliundè decerni non potest, præterquam ex fine, utpote omnium ad eam spectantium norma & regula. Exemplo sit architectonice quæ nisi, absurdè, quamlibet fabricam quolibet Ordinis non disponet; sua ædibus sacris, sua palatijs, sua est arcibus figura. Quod quidem ædificia sunt, quædam necessariò, natura sua poscunt; fundamenta, muros, & communia omnibus talia: quod autem in usus extruantur, finisque diuersos; diuini cultus, habitationis, propugnationis; inter se plurimum differunt. Sic planè Ordines in eo omnes sibi sunt similes, quod vnde vnde si absit, Religiosi rem, & nomen amittant, cuiusmodi est sacra Professio, & obseruatio votorum; cætera inter se sic discrepant ut sunt fines diuersi, quos habent à Deo, & fundatoribus præstitutos, & Ordo ni fallor Melitensium Equitum, Monasticus, & Clericalis, haud magis inter se conueniunt, quàm arx, palatium, & templum. Hic si quis Monachos ex sacris eductos Chartulis in scholas inducat, horas quotidie saltem quinque more nostro docendis pueris duros; aut mittat illos in vltimas Indias ad conuersionem barbarorum; his licet bona sint excellentissimæ caritatis, quis neget tamen præstantissimi Ordinis compositissimam disturbari structuram, auertere illum à familiaritate cum Deo intima quam pro fine habet, contemplationis præsidio quærendam. Nempe quod per se bonum, non statim cuiuslibet idcirco bonum est. Haud prorsus aliter qui Societatem ad chorum, & solitudinem, & similia compelli voluerit, eam suscipere euerterit. Quod adeo certum est ut religiosos videamus qui vel Pontificis, vel prælatorum suorum assensu, iuuandis animis, vltro suam operam locarunt, iure ab choro, ieiunijs, etiam quandoque ab religioso habitu gestando eximi; ut mirum videri non debeat, Ordinem cui ex instituto, iuuamen incumbit animarum, lege sibi propria id tenere, quod extra morem alijs indulgetur, extra morem dico, haud quidem officij, sed eius Ordinis quem ipsi profitentur. Planè artem regendæ vniuersitatis, scitè intelligens in salutem aliorum natæ, rectorque ac simplici oculo inspectum S. Ignatij Institutum cognoscens, reuerbitur in eius conformatione, sublimitatem mentis ad omnem humanam, & diuinam prudentiam exactæ. Tandem hæretici, quibus pro quinto elemento Societatis odium est, eiusque architecti; in constructione illius

## VII.

*Instituto S. Ignatij absolutissimè, & quod illa quæ habet propria, & quoad illa quæ non habet ex alijs Ordinibus communia.*